





Halle





1731, 16  
No. 20  
33  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE  
**MANDATO,**  
**AN MORTE MANDAN-**  
**TIS CESSET?**

QVAM,  
INDVLTV ILLVSTRIS JCTORVM  
ORDINIS

ALMÆ AC PER-ANTIQVÆ HIERANÆ,  
PRÆSIDE

DN. CONRADO WILH. *Strecker*,

JCTO, FACVLTATIS IVRIDICÆ, NEC NON IVDICII ELECTORALIS PROVIN-  
CIALIS ASSESSORE, PROFESS. PVBLICO ET CIVITATIS  
ERFORDIENSIS SENATORE,

*PRO LICENTIA*

SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES AC PRIVI-  
LEGIA DOCTORALIA RITE ET LEGITIME  
CONSEQVENDI,

*SISTIT*

CAROLVS FRIDER. SENCK-EISEN,  
Advocatus Lipsiensis,

IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI,  
DIE III. IVLII A. M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN ACADEMIA IURIDICA

DE

MANDATO

IN MORTE MANDATI  
TIS CESSAT

QUAM

INDULTA ILLUSTRIS ICTORUM  
ORDINIS

ALMAE AC PER-AMPTORUM HERANAE

PRÆSIDII

DR. CONRADO WILH. SÜNDER

PROF. FACULTATIS IURIDICÆ, NEC NON IURIS  
CIVILIS ACADEMIAE, PRAESIDIUM IURIS  
HERANENSIS SENATOR

PRO LICENTIA

SUMMOS IN VIRGORE IURE HONORES AC PRIVILEGIUM  
LEGIS DOCTORALIA RITE ET LEGITIME

CONSERVARI

STATIT

CAROLVS FRIDER. SENCK EISEN

Advocatus Lipsiensis

IN AUDITORIO ICTORUM MAIORI

DIE IIII MDCCLXXII

ERRATA: 1. JOH. CHRISTOPH. HENRICH, 2. JOH. HENRICH





PERILLVSTRIATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,

DOMINO  
HENRICO DE BRÜHL,

SACR. REG. MAJ. POL. ET ELECT. SAXON.  
SVMMO SACRI CVBICVLI PRÆFACTO,

ET  
TRIBVNALIS REDITVVM PRO-PRÆFACTO,  
REGII PRVSSICI ORDINIS AQVILA NIGRA  
INSIGNIS EQVITI,

DYNASTÆ IN GANGLOFF-SOEMMERN,  
RELIOVA,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO,



HAS QVALESCVNQVE PAGELLAS  
IN  
PVBLICÆ REVERENTIAE AC OBEDIENTIAE  
SVBMISSISSIMÆ

MONVMENTVM

CONSECRAT

*Humboldt's Client*

CAROLVS FRIDERICVS SENCK-EISEN.





Q. D. B. V.

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS

DE

MANDATO,  
AN MORTE MANDANTIS  
CESSET?

§. I.



U Niversa mandati Jura prolixa & copiosa esse, nemo negabit, qui paulo accuratius consideraverit, tum quæ Jure Romano atque Germanico de mandato, inprimis judiciali, constituta sunt, tum quæ Jure Rom. vel implicata vel superflua, nostris moribus contraria. Quâ legum multitudine, diversitate, subtilitate, effectum, ut de mandatis doctrina mirum in modum sæpè sit dubia & quasi duplicata.

A 3

ta.



ta. (a) Ista tamen laudatæ materiæ copia & difficultas mihi de aliqua ejus parte differendi ansam præbuit. Dicam de Mandato, *an morte mandantis cesset, an verò post illam continuetur.*

§. II.

His ante monitis diversa patent principia, jus Romanum & praxis hodierna domesticis rationibus innixa. Ex quibus non possunt non fluere conclusiones diversæ. Rem ipsam verò ut eo accuratius perpendere liceat, non inconsultè agemus, definitionem mandati & species sub illo comprehensas secundum Jus Romanum & usum hodiernum præmittendo. Est itaque mandatum contractus consensualis de negotio aliquo licito gratis expediendo. §. 7. *J. de Mand. l. 22. §. Mand.* seu conventio, quâ quis alienum negotium gratis (b) administrandum suscipit. Ab *Objecto* mandatum est vel *judiciale*, quod versatur circa judicialia negotia, vel *extrajudiciale*, quod circa extrajudicialia. Ex quo mandatarii judicialis & extrajudicialis diversitas facillè apparet; apparet etiam, mandatariis procuratorem

(a) Exigit verò & prudentiæ & solidæ jurisprudentiæ Regula, ut præsentem vitæ nostræ rerumque publicarum statum cum Romano conferamus & quatenus instituta Romanorum legesque Rom. nostris in foro & extra forum moribus ac institutis commodè applicari queant, dijudicemus.

(b) Ita enim distinguitur à *locatione* factorum, vel à *contractu do ut facias*, si factum locari non sit solitum. vid. HUBER. *Prælecti*, p. 286. n. 8. Scilicet procurator & mandatarius non tam specie, quam nomine differre videntur. Nam promiscue utrimque illis verbis. Sed tamen, ad negotia qui dantur, dici solent mandatarii, ad litem maximè vocantur procuratores. conf. HUBER. *post. ad Inst. l. 4. tit. 9. de iis, per quos ager. poss. post. 3.* VINN, in *not. ad Inst. d. 1. ad §. 1.*



rem omnino adnumerandum esse. In specie notanda venit divisio mandati in *simplex* & *qualificatum*. Illud est, quod in terminis consensus de negotio alterius gratis gerendo adhuc subsistit, nec dum inchoatum aut executione perfectum est. Dicitur etiam potest mandatum simplex, cui nec alia inter mandantem & mandatarium conventio immixta est. Hoc verò est, vel in quo res non amplius integra, vel quod alia conventionne auctum est, vel quod aliquem cum alio contractum inire jubet, atque sic naturam suam in fideiussionem mutat, externa saltem mandati specie retenta. v. §. 6. *J. de mand. l. fin. §. 1. mand. l. 41. §. 1. de fideiuss.* Ita putato, si negotium hoc simplex & qualificatum in sensu latiori accipiatur. Quod si verò utrumque in sensu strictiori supponere velis, simplex mandatum est, quod nullam in se continet intercessionem; *Qualificatum*, quod conjunctam habet *intercessionem*, seu quod aliquem cum alio contrahere jubet, periculo mandantis. Quo casu mandans *mandator* dicitur, & *intercessoris* vice fungitur. *Rubr. ff. de fidej. & mand.* Qua de re infra suo loco amplius dicendum erit, conf. SCHILTER. *Exerc. ff. 28. §. 81. STRYCK. de pericul. petent. c. 1. BOEHMER. Jus Digest. tit. mandat. §. 4. p. 403. & §. 28. p. 409.*

§. III.

Differentia inter procuratores Romanorum & nostros insignis est. Jure Romano (I.) procurator fiebat *dominus litis*. Habebat hoc dominium speciem & effectus veri domini. SCHILTERVS *Exercitat. ad Pand. X.* illud non ineptè dominium *subordinatum* appellat.



lat. (c) Effectus ejus præcipui erant, ex parte naturales, ex parte Juris positivi: Sic procurator (1) omnia tenebatur agere, quæ ipse dominus fecisset. *l. 35. §. 3. ff. de Procur.* (2) omnes actus judiciales in procuratorem dirigebantur *l. 1. C. de sentent. & interl. quin & sententia in procuratorem ferebatur*; hinc in judiciis famosis cautelæ loco commendabatur, ut quis per procuratorem litigaret. *l. 6. ff. de his qui not. infam.* ita enim infamiam juris evitabat Dominus litis, cum sententia contra procuratorem conciperetur, in quem tamen infamia redundare non poterat. (3) Principalem suum in reconventionem tenebatur defendere *l. 33. §. 5. ff. d. procurator. l. unic. C. de satisd. conf. PEREZ. ad Cod. de procurat. & WISENB. ad ff.* Eodem (4) acquirebat actionem directam tum ex stipulatu, tum rei judicatæ *l. 68. de proour. l. 28. ff. de procur. licet ex illis nihil consequeretur.* (5) Poterat substituere, & substitutionem revocare *l. 8. l. 11. l. 23. C. de procur.* (6) Morte mandantis non auferebatur procuratori dominium litis *l. 23. C. de procur.* (7) Dominus principalis non pote-

c) Rectè SCHILTER. *Exerc. ad r. X.* dominium procuratoris dixit *subordinatum.* Nam Dominus procuratorem constituens in litem deducæ dominium aliudve jus, quod habere putat, retinet. Hinc causæ suæ adesse potest. *l. 69. ff. de procur.* Ad eum pertinent, quæ finito processu obtinentur. *l. 27. 28. 51. 61. ff. d. Procur. l. 13. §. 25. de A. E. V. l. 86. ff. de solut.* Actiones utiles ei competunt. *dd. LL. & l. 5. de pretor. stipul. l. 68. de procurat.* Exceptio rei judicate procuratore absoluto nascitur domino *l. 50. de procur. l. 11. §. 7. de Except. rei jud.* Potest mandans revocare & mutare procuratorem, modo revocationem, quam mandans post litis contestationem facit, ex edicto Prætoris præcedat causæ cognitio & causa sit iusta, *l. 8. in f. l. 17. §. 2. l. 18. 19. 20. 599. ff. mandat. conf. HOFFMANNI Dissert. de Orig. & Cond. Procur. An. 1716. Hal. hab. s. p. 599.*



rat revocare procuratorem & litem, vivo eo, in se trans-  
 ferre, nisi causa cognita l. 17. §. sqq. ff. de procur. l. 22.  
 C. eod. (8) Salarium procurator petere non poterat,  
 nisi specialiter promissum l. 56. §. 2. Mandat. II. Apud  
 Romanos distincta semper erant Procuratorum & Ad-  
 vocatorum officia. Procuratores principalium absen-  
 tium negotia gerebant l. 1. §. 2. ff. de Procur. adde POL-  
 LET. in hist. for. Rom. Lib. 2. cap. 2. Advocati nihil, quam  
 patrocinium præstabant, & præsentibus quidem adsi-  
 stebant, id quod stylo fori Romani verbo *supersesse* ex-  
 primebatur. RITTERSHVS. ad LL. XII. Tab. p. 82.  
 POLLET. Hist. for. Rom. Lib. 2. C. 1. GELL. Noct. Attic.  
 Lib. 1. cap. 22. (d)

§. IV.

Comparemus nunc mores Germanorum cum  
 Romanis I) quod procurator vices domini fungatur,  
 B eaque

(d) Origo totius rei hæc erat: Jure Romano Litigantes præsentibus esse oportebat, quibus patrocinium præstabant advocati; Nam per extraneam personam nihil acquiri posse hujus juris regula erat §. 5. 7. Per quas pers. acquir. l. 126. §. 2. de Verb. obl. l. 73. §. f. ff. d. R. 7. cujus canonis rationem tradit l. 11. d. O. & A. & l. 38. §. 12. d. V. O. nempe existimabant Romani, obligationes, cum ex nostro consensu oriuntur, ex nostra persona etiam initium sumere debere. Accedebat alia ratio, actionum solennitas, ex cuius rigore nemo alieno nomine lege agere poterat. §. l. 123. de R. 7. NOODT. in Comm. ad Pand. Lib. 3. Tit. 3. Cum verò molestum nimis, durum & inhumanum esset, præsentiam litigantium in judicio stricte exigere, coeperunt homines per procuratores litigare. §. l. 1. §. 2. de Procur. Obstabat quidem solennitatum subtilitas, verum & rigori antiquæ legis & necessitati procuratores admittendo se satisfecisse putabant Romani, exco- gitando tale remedium, quo extraneus substituebatur litiganti, ita, ut non videretur esse extraneus. Nam procurator in Actoris vel Rei locum substitutus dicebatur litis dominus, atque sic non alieno, sed suo nomine agebat. vid. NOODT. in di. Comment. ad ff. de procurat. add. BOEH- MER. in Dissert. de Domino Litis c. 1. §. 23.



eaque agat, quæ principalis agere potuisset aut debuisset, id verò non mere Romanum, sed naturale est. 2) Quod verò sententia concipienda sit in procuratoris personam atque hujus constitutione evitetur infamia, hæc moribus nostris non obtinent. vid. SCHILTER. *Exerc. ad ff. 10. tbes. 42. sqq.* Idem dicendum de reliquis antiqui domini litis effectibus. Sic 3) hodiè procuratorem ad defensionem in judicio reconventionis non teneri, notat STRUV. *Exerc. 7. tbes. 35. add.* STRYK. *in U. M. ff. de procur. §. 43.* HAHN. ad WESENB. *h. n. 2.* 4) Illam verò subtilitatem, qua procurator directam sibi acquirit actionem, cessare, fatentur etiam ii, qui alias usum domini litis in foro nostro afferunt. vid. *Nobil. Dn. DE BERGER. de dominio litis §. 33.* 5) Substituendi potestas hodie non tam litis cuidam dominio adhæret, quam ex speciali mandato dependet REC. IMP. *de Ao. 1654. §. 43. c. 81. d. R. I. C. MENCK. Disp. Proc. V. ad Ord. Proc. Sax. Tit. 7. §. 16. 17.* 6) Morte mandantis pro lubitu heredum desinere procuratoris munus, rectissime docent *Nob. Dn. DE BERGER. in Dissert. cit. §. 42. & BOEHMER. c. l. §. 8. add. R. I. 1654. §. 100.* 7) Moribus licitum esse procuratorii revocationem, si modo procuratori de damno, quod ipsi inde evenire possit, satisfiat, notum est. vid. BEYER. *in post. ad Pand. de procurat. conf. O. P. S. R. tit. 7. §. 4.* 8) Cum apud nos nec procuratores privati Domini litis fiant, alia quærenda est ratio, ob quam salarium petere nequeant, nisi promissum, scilicet, quod mandatum sua natura sit gratuitum. Sed procuratores publici, (e) salaria licet

(e) Procuratores privati sunt, qui sine prævia constitutione publica privato-



non promissa, tamen petunt. V. SCHILTER. *Exerc. 10. th. 38.* perinde ac Advocati *l. r. §. 11. de Extraord. Cognit. (f)* Ex quibus satis adparet dominii litis in eo sensu accepti, in quo Jus Rom. varios, eosque singulares, ei tribuit effectus, hodie nullum esse usum.

§. V.

Quod dein ad distincta Procuratoris & Advocati officia

B 2

rum consensu constituuntur; *publici* qui publica autoritate. Quales sunt in Saxonia procuratores Supr. Cur. provinc. Lips.

(f) Illud alias hic disputari solet: An, quod procuratoribus aut advocatis solvitur, sit merces, an vero honorarium? Sunt, qui negant in hunc contractum venire mercedem; Nam, inquirunt, merces ad locationem conductionem pertinet: At vero advocatorum operæ, non sunt operæ locari solitæ, quia sunt inæstimabiles, ergo contractus cum avvocato aut procuratore judiciali initus locatio non est, quare id, quod ipsis solvitur non mercedis, sed honorarii nomen habere solet. Quid igitur erit? forte contractus innominatus, do ut facias? sed quorsum abiit mandatum? mandatum esse hunc contractum dixerat. Primò igitur totam Disputationem, quæ vulgò hic instrui solet, in meram logomachiam desinere puto, quid enim interest sive pensionem, quæ solvitur, mercedem adpelles sive honorarium? quodsi tamen magis placet honorarii titulus, quia honoratiores sunt illæ operæ, nèque ex consuetà aliarum mercede æstimari solent, non intercedo. Deinde cum hocce mandatum sit consecrarium Legis Cincix, quæ ob causam orandam donum munusve capere, prohibuit, quam tamen postea contrarii mores neglexerunt; (conf. FRIDER. BRVMMER. *Comment. ad L. Cinciam*, BEIER. *post. ad n. Lib. 3. tit. 1. §. 37. not. subjct.*) hanc conventionem dixeris mandatum irregulare, quod ad locationem accedit. vid. TITII *Jus Priù. L. IV. c. 10. §. 3.* Sane hodiè in singulis provinciis certa, quam vocant, taxa præscripta est, secundum quam procuratoribus & advocatis pro studio & labore sive merces, sive honorarium solvendum. Denique quid subesse poterit periculi aut quid peccati? si conventionem cum avvocato initam locationem conductionem appelles? immo & differat, de qua hic loquimur, conventio, quod ad materiam, à locatione, differat quod ad honorarium aut mercedem, à mandato, est tamen negotium consensuale, quod ad præstationem utrinque faciendam efficaciter obligat, prout conventum est, ut adeo sollicitiori illa nomenclatura facile carere queamus. Conf. TITII *Obs. Lau. verb. 593. 648.*



officia attinet, cessat singularis legum Romanarum ratio, quod per alios agere nemo possit, auxilium advocatorum licitum fuerit, sequentium verò temporum usu per alios quoque agere licuerit, cessat ratio, quod procuratoribus totum negotium à principali cessum sit visum, datumque iis procuratorum nomen, atque sic utriusque munera etiam distincta. Quibus ambagibus cum jure Germanico non sit opus; hinc in nostris aliarumque gentium judiciis procuratorum & advocatorum munus *conjungitur*, aut, si distincta nonnunquam officia manent, neque tamen ex necessitate. Sic testante HUBERO in *prælectionibus ad ff. cit. de procur.* Lege Frisica litigantibus, electio datur, utrum advocato & procuratore seorsim, an uno, utrasque partes implente, velint uti. Ceterum usu magis obtinuit, ut laudata munera non amplius sint distincta. Patet idem ex manifestis curiarum & dicasteriorum, ferè omnium exemplis, nec non plurimis constitutionum provincialium titulis atque argumentis, ubi & conjuncta sunt & confusa procuratorum & advocatorum munera. v. g. *Ordin. Proc. Sax. Recogn. Tit. 7.* In illustribus vero nonnullis judiciis adhuc separata sunt procuratorum & advocatorum munia, cujus instituti exemplum præbet suprema curia *provinc. Lips.* vid. *Chur-Fürstl. D. S. Gerichts-Ord.* In illustrissimo Camerae Imperii judicio munera ista itidem distincta sunt, sed in una persona concurrere possunt, duplici tamen respectu, quod ad salarium imprimis attinet. vid. *GAIL. Lib. 1. Obs. 44. conf. HOFFMANN. Dissert. de Orig. & cond. procurat. 5. 4. §. 3. 13.*



## §. VI.

Ad nostrum institutum ut propius accedamus, ea nunc, quæ in specie circa quæstionem: *An morte mandantis cesset mandatum?* locum habent, considerabimus. Terigimus hanc rem §. 3. & 4. cum breviter indicanda esset differentia juris Rom. & Germ. nunc verò, quid in casu mortis mandantis obtineat, paulo plenius ostendendum est. Ad regulam si rem examines, *morte mandantis mandatum solvitur*. Id quod à consensu est. Nam mandans intuitu sui censetur aliquid mandasse, & mandatarius, sive gratis, sive pro honorario faciat, suum officium, ad mandantis personam respexisse præsumitur. Ex communi hominum affectu naturâ mandati tacite continetur, ut mandatum neutrius egrediatur personam. Quare præstatio officii in mandato & ratione ejus, cui præstatur, & ejus, qui præstat, tota personalis est. Hinc uti CICERO pro Rosc. Amer. *nemo mandat, nisi amico & fideli*: ita nemo mandati officium præstat, nisi amico & fideli. Id quod etiam LL. Rom. agnoverunt l. 26. l. 57. ff. mandati. l. 9. ff. de cur. fur. §. 10. J. de mand. l. 15. C. mund. vid. VINN. in not. ad §. 10. J. b. l. Adde, quod sanæ rationi adversum est, agere nomine defuncti, qui morte sua & velle desit & nolle, ac jura sua resque omnes post se relictas vel sua sponte vel invite omisit.

## §. VII.

Sed operæ pretium erit, spectare exceptiones à regula h. e. illos casus, ubi mandatum morte mandantis non cessat. Et (I.) *quidem durat consensus mandatumque in negotiis judicialibus*, seu, ut vulgo loquimur, in

n ra-  
dvo-  
orum  
quod  
um sit  
ne sic  
bagi-  
oftris  
voca-  
quam  
ic te-  
voca-  
sim-  
t, ut  
Patet  
ferè  
onum  
hjun-  
n mu-  
tribus  
irato-  
plum  
fürstl.  
impe-  
n una  
pectu,  
i. Obf-  
ocurat.  
§. VI.



Processu, cujus quidem <sup>diverſas</sup> veritatem omnes agnoſcunt, ſed in ea probanda non conveniunt. LAVTERR. *Comp. Jur. tit. de procur. p. 70.* STRYCK. in *U. M. ff. Libr. 3. tit. 3. §. 41.* aliique exiſtimant hanc mandati continuationem eſſe effectum domini litis. Cum verò dominium litis apud Romanos uſitatum hodie ceſſat, quemadmodum BACHOVIVS *ad Treul. Vol. 1. Diſp. 9. th. 10. lit. f.* bene jam obſervavit & nos ſupra jam demonſtravimus, laudati AVTORES fallaciam cauſæ committunt. Vera potius ratio eſt, quam TITIVS in *Obſerv. Lauterbach. §. 2.* aſſert, expreſſum nempe mandatum. Nam in caſu litis per procuratorem agendæ mandatum de heredibus concipitur, atque ſic mandatarius ſimul, ut poſt mortem mandantis apud heredes quoque negotium demandatum continuat, rogatur, qui cum hanc mandati ſignificationem ſciverit, & generatim in mandatum conſenſerit, in ejus quoque durationem poſt mortem mandantis exſtituram conſenſiſſe cenſetur. Immo licet heredum nulla facta ſit mentio, tamen ex natura negotii conſequitur, non illud quidem, ut heres mandatarium à defuncto conſtitutum pro ſuo etiam agnoſcere cogatur, ſed ut mandatum continuetur, donec heredes iſtud, legitime revocaverint, ne vel intuitu citationum inſinuandarum, vel alio modo litis tractationi remora fiat. Id quod lex in *O. P. S. Recogn.* etiam confirmat, quando ſolemnitatibus mandati haud neceſſariis accenſet heredum mentionem, ac diſertis verbis cavet, ne ob hujus clauſulæ omiſſionem impugnentur mandata. Ita enim Sereniſſimus: Die Legitimations-Vollmachten ſollen in Zukunft ſogleich mit  
der



der Klage übergeben --- hingegen aber auch die Vollmacht, wegen unnöthiger und überflüssiger Solennitäten nicht gefochten, sondern wenn auch gleich 3. C. die Benennung derer Erben und Erbnehmen / oder auch die Clausula rati, grati, darinnen ausdrücklich nicht enthalten, weil solche ohnedem ex natura negotii und contractus fließen --- keinesweges vor unzulänglich gehalten werden, *Dict. O. P. S. R. ad tit. 7. §. 1.*

S. VIII.

Deinde ex vulgari doctrina (II.) non cessat mandatum, si in heredes est directum per R. I. de Ao. 1654. §. 99. Ex vulgari, inquam, doctrina: Plerique enim adhuc hodie casum litis contestationis, & casum, ubi mandatum de heredibus est conceptum, ut diversa distingunt atque invicem opponunt; nam post litis contestationem litis etiam dominium, ex Juris civilis principio, constitui existimant, hinc in mandatis judicialibus quare mandante mortuo duret mandatum, eam reddunt rationem, quod facta litis contestatione penes mandatarium sit litis dominium. Uti vero §. præc. jam ostensum est, ab iis, qui vulgarem doctrinam hic sequuntur fallaciam causæ committi, fictoque cuidam litis dominio hunc effectum tribui, qui tribuendus erat voluntati mandantis vel expressæ, quâ mandatum in heredes extensum, vel etiam tacitæ, quam natura negotii forensis, ne causa tractanda sufflaminetur, exigit: Ita hæc quidem continuandi mandati causa, quæ in mentione heredum versatur, cum priori, quâ respicitur ad naturam negotii judicialis & litis contestationem, convenit



nit. Quodsi verò doctrinam sic instruas, ut, quod de mandato judiciali ratione mentionis heredum disertis verbis factæ dictum est, de mandato extrajudiciali etiam statuas, tum sententia & cum veritate conveniet, & si regulam antea datam respicias, exceptionem à præcedenti exceptione diversam habebis, modo præter istam, quam adnotavimus, cum mandato judiciali convenientiam, observes, in eo tamen adhuc differt mandatum extrajudiciale à judiciali, quod hoc expressa heredum mentione non indigèat, illud verò, si mandans post mortem suam idem durare velit, laudata clausula, eaque diserte adjecta, opus habeat, quo casu tamen heredes non obligantur, ut mandatarium a defuncto datum simpliciter agnoscant, sed ipsi alium procuratorem eligere queunt, siquidem natura mandati non fert, ut alii invito mandatarius, licet ipse non invitus, obrudatur.

§. IX.

Porro (III.) non cessat mandatum morte mandantis, si mandatarius mortem ejus ignorans, ex justa & probabili ignorantia, rem defuncti gesserit, atque mandatum executus fuerit. Nam si mortem ignorantem ac negotium interea tractanti expiraret mandatum, res acta fuisset absque mandato, sed non sine suo mandatarii dispendio. Cum vero ex justa, h. e. invincibili & contra voluntatem agentis obrepente ignorantia agentis actionem imputare iniquum sit, l. 9. ff. de J. & F. Ignor. hinc ex diverso æquum est, in tali casu non cessare mandatum, ne justa facti ignorantia mandatario damnnum adferat. in



in l. 26. l. 58. ff. mand. §. 10. J. de mandat. Quare heredes mandatarium indemnem servare tenentur. l. 27. §. 3. ff. mand. Nec heredes creditum à debitore, cui defunctus, ut illud tertio solveret, mandavit, repetere possunt, si debitor, mortuo mandante, cum hoc ignoraret, ei solverit. l. 26. pr. ff. d. t.

§. X.

Tum (IV.) non cessat mandatum, si negotium tale sit commissum, quod ante mortem mandantis impleri nequeat. Cujus exempla passim occurrunt: Sic si quis, ut post mortem sibi monumentum fieret, mandavit, tum & heres ejus & ille, qui mandatum suscepit, si sua pecunia fecit, mandati agere potest. l. 12. §. 17. ff. mand. Item, si quis debitori suo tam benignas indulserit inducias, ut post suam, creditoris, mortem demum heredibus debitum solvat, alii verò mandaverit, ut ista pecunia heredibus prædium vel emat, vel emi curet. Tum enim ea negotii indoles est, ut mandatum ante mandantis mortem impleri nequeat. Equidem putant nonnulli, eo casu obligationem exequendi voluntatem defuncti subesse non ex jure mandati sed stipulationis interpositæ, vid. *Nobil. Dn. DE BERGER. Resol. LL. obst. quest. 6. tit. mand.* Sed non est cur eo deveniamus. Morte, re integra, superveniente, mandatum evanescit quidem, quia mandans intuitu sui censetur aliquid mandasse, & certam etiam personam elegisse: Quod si tamen vi negotii demandati ultra mortem extendatur mandatum; Tum naturaliter utique ob consensum durabit, id quod in legibus &

C

exem-



exemplis antea memoratis. l. 12. §. f. l. 13. mandat. & l. 18. §. 2. ff. de donat. m. c. etiam agnatum est. v. TITII Obsero. Lauterbach. 479.

## §. XI.

Ceterum illud omnino largior, mandatum post mortem mandantis exequendum facile suam amittere naturam, sibi que induere vim legati, aut alius ultimæ voluntatis conditionem, si quid post mortem expediendum injungatur *heredi*. v. g. ut Mevio solvantur centum. Idem dicendum de donatione mortis causa, si ejus executio demandatur *heredi*. Secus est, si *alii*, quam heredi datum sit negotium, aut donationis inter vivos *præstatio conferatur in casum mortis*, quale exemplum in l. 27. ff. de m. c. donation. occurrit. v. LAUTERB. Compend. jus. p. 561. in f. Nec officit conjunctio diversorum contractuum. Fieri potest cum alio contractus (v. g. locationis conductionis) ut is paciscenti pecuniamque in antecessum solventi post mortem ejus extruat monumentum, cum alio verò mandatum, ut hic curet, quo ab artifice recte fiat sculptura, res in locum aptum transferatur, ibique cum ornamentis convenientibus erigatur.

## §. XII.

Deinde licet tale negotium non sit commissum, quod ex indole sua post mortem mandantis demum impleri potest; Tamen (VII.) speciali pacto etiam inter partes conveniri potest, ne morte finiatur mandatum, sed post

mor-



*mortem ejus executio demum fiat.* Exemplum se offert in  
*l. 13. ff. mand.* Si quis tibi mandavit, ut post mortem  
heredibus suis fundum emerēs. Geminum est, quan-  
do aliquis chirographa debitorum suorum, illis dona-  
tus, dat alicui, ut si donator moriatur, donatariis il-  
la dentur; Tum enim heres si summam, quæ debe-  
batur ex chirographis illis petat, vel ipsa chirographa,  
exceptione pacti conventi vel doli mali excluditur. *l. 18.*  
*§. 2. ff. de mort. caus. donat.* Graviter hic obstare vide-  
tur *l. f. de solut.* id quod, referente TITIO *c. l. contra-*  
*rium durissimum & scabrosum,* dicit SALICETVS. Sed  
ad hoc dubium respondet laudatus observationum  
Lauterbachianarum Auctor, cujus verba integra ex *d.*  
*obj.* hic apponere non erit divitiæ: „Ego, inquit ille,  
„salvo rectius sentientium iudicio crediderim, Jctum  
„non negasse, quin expresso consensu ultra mortem  
„mandatum extendi queat (nam hoc absurdum est,  
„adeoque non temere præsumi debet) sed eundem  
„declarasse naturam mandati, sive regulam vulgatam:  
„Mandatum morte extinguitur, ea quidem ratione, ut  
„ostenderet, non quævis exempla ad regulam illam  
„quadrare, adeoque in iis distinguendis & dijudicandis  
„nos cautos esse debere, id quod ex addita textui pa-  
„raphrasi fiet manifestius: *Ei, qui mandatu meo* (quod  
„negotium me vivo & initur & executioni datur) *post*  
„*mortem meam stipulatus est* (hoc est alterum negotium  
„& mandati præcedentis scopus) *recte solvitur, quia ta-*  
„*lis est lex obligationis* (stipulatio non pure, sed in diem  
„mortis meæ erat concepta, hinc ante mortem nihil  
C 2 peti



„peti poterat, post mortem verò recte potest, quia &  
 „ambo contrahentes adhuc vivunt, & si etiam deceſ-  
 „ſiſſent, tamen hujus generis conventiones in heredes  
 „active & paſſive transmittuntur) *ideoque etiam invito*  
 „*me rectè ſolvitur*, (nam ex mandatu quidem meo pro-  
 „fecta est ſtipulatio, ſed poſtquam illa inita est, tan-  
 „quam perfectum negotium intra contrahentes valet,  
 „& me etiam invito, ſuum habet & effectum & exi-  
 „tum) *Ei autem* (hactenus igitur allatum exemplum  
 „non est congruum, nec regulæ declarandæ inſervit,  
 „ſed quod nunc ſequitur, aptum est & huc pertinet)  
 „*cui juſſi debitorem meum poſt mortem meam ſolvere*, (quod  
 „unicum negotium hic ſubest, ac poſt mortem imple-  
 „ri debet) *non rectè ſolvitur, quia mandatum morte diſſol-*  
 „*vitur* (ſi ſcilicet juxta regulam ſeu naturam mandati  
 „pronunciandum ſit, an non vero juxta ſpecialem  
 „mandantis voluntatem aliud dici debeat, id non ne-  
 „gatur.) Quæ explicatio cum & perſpicua & naturæ  
 rei conſentanea nobis videatur, lubenter eidem ſubſcri-  
 bimus.

§. XIII.

Porro (VIII.) *non ceſſat mandatum, ſi mandans ulti-*  
*ma voluntate heredi neceſſitatem continuandi iſtud imponat,*  
*ac libertatem eligendi alium mandatarium v. g. procurato-*  
*rem judicialem, adimat, mandatario in tale mandatum*  
*conſentiente. Sicut enim adita hereditate, heres omnia*  
*defuncti Jura conſequitur l. 37. 54. d. A. O. H. ita ejus-*  
*dem quoque obligationes, in heredem transmiſſibiles,*  
 ſubit



subit l. 8. d. A. O. H. l. 10. C. de jur. delib. l. 44. de R. F. l. unic. ex delict. defunct. immo novis etiam obligationibus v. g. ad legata exsolvenda, itemquè ad mandatum, licet hoc alias morte defuisset, continuandum, obstringitur. §. 5. F. de obl. quæ quasi ex contr. quia cum hereditatem amplectitur, simul iudicium defuncti agnoscere, seu què oneribus, quæ ex voluntate defuncti, velut conditiones adjectæ, subeunda sunt, subijcere creditur l. 5. §. 2. l. 3. §. ult. ff. quib. ex caus. in poss.

§. XIV.

Morte mandantis non cessat mandatum (IX.) cum res desit esse integra, h. e. quando mandatarius negotium inchoavit, v. g. contractum sibi demandatum iniit, aliquid promisit, iter aut impensas fecit; tum enim mandantis heredes mandatario ad indemnitatem obligantur, & mandatarius illis ad inchoata & connexa perficienda obstringitur a l. 27. §. 3. ff. mand. Ceterum accuratè loquendo distinguendum est inter mandatum præteritum & inchoatum ac perficiendum. De hoc strictè propriequè dici potest, quod non cesset post mortem mandantis, nam mandatarius ad continuandum perficiendumquè, ac mandantis heres ipsi ad id, quod natura negotii perficiendi desiderat, præstandum obligatus est: De illo (nempe præterito) duntaxat dici potest, quod heredes mandatario teneantur ad indemnitatem præstandam (v. g. sumtus restituendos l. 22. §. 9. ff. d. r. usuras ex mora & æquitate solvendas c. l. suscipiendam aut tollendam obligationem, quam



mandatarius, mandati nomine, cum alio contraxit *l. 45. pr. §. 5. d. t.*) intuitu mandati jam absoluti & perfecti, non quod mutuæ obligationes durent intuitu continuandi aut perficiendi. Sane paragraphus X. *F. d. mand.* de casu, ubi mandatarius ignorans mandantem decessisse, executus est mandatum, eoquè heredes, ne iusta ignorantia ipsi damnum adferat, sibi obligatos habet, adeoquè de mandato perfecto loquitur, non perficiendo, cum verò utroquè respectu par sit æquitatis ratio, Interpretes, quoties de duratione mandati post mortem mandantis quæstio est, & in casu mandati præteriti & post mortem perficiendi, præter alias leges, hanc etiam recte allegant.

§. XV.

Hoc amplius (X.) *non cessat* mandatum, si hoc *non simplex* est, sed *qualificatum*. Illud est mandatum, quod adhuc re integra in nudis consensus terminis subsistit; aut si res non amplius est integra, alium tamen contractum aut obligationem pro tertio susceptam non involvit. Mandatum *qualificatum* vero est, quod vel jam inchoatum, aut executione penitus consummatum, est, vel alium sibi contractum habet junctum, qui vel ad mandantem & mandatarium tantum pertinet (g) vel tertium, ejusquè obligationem in subsidium recipiendam, respicit. (h)

§. XVI.

(g) v. g. quando mandans mandatarium, ut hic pecuniam negotio peragendo necessariam sibi det mutuo, rogavit.

(h) v. g. quando mandatum utilitatem tertii respicit ac mandans verbis factisve declarat, periculum obligationis cum alio contrahendæ ad se per-



§. XVI.

Ad illam qualificati mandati speciem, quæ est mandatum inchoatum aut consummatum, omnino pertinet casus, ubi res non amplius est integra, de quo §. *prac. 14.* jam diximus. Reliquæ duæ species peculiarem locum hic fortiuntur. Et quod ad mandatum attinet, cui adhuc alius inter mandantem & mandatarium contractus innexus est, v. g. mutuum, utiquè post mortem mandantis illud durare debet, si enim ratione expensarum heredes mandantis ex summa æquitate obligati sunt, ut satisfaciant mandatario: æqualis aut major est ratio respectu mutui mandato innexi; immo, si rem recte expendas, in tali mandato specialis ad restituendum creditum obligatio non tam ex mandato, quam ex peculiari isto mutui contractu, qui mandato adnexus erat, oritur. At magis, aut unice huc pertinet mandatum, quo quis alteri mandat, ut cum tertio contractum, non ad mandantem, sed tertii utilitatem spectantem, ineat, v. g. si tibi mandem, ut Mevio centum des mutuo, aut si tibi mandem ut Cajo certas res vendas, fidemquè de pretio habeas. Certe quitalis mandatum cum altero contrahit, tacite promittit periculum obligationis se subire velle. Dum enim contractum cum alio ineundum mandat, in eum consentit,

---

tinere velle, aut, licet talis declaratio absit, tamen mandans alicui mandat, ut suo (non mandantis, sed ejus, quem contrahere jubet,) nomine, cum tertio quodam in illius, (nempe tertii) utilitatem contractum ineat, (v. g. pecuniam credat, aut de pretio mercium vendendarum fidem habeat.)



sentit, atque sic obligationem in subsidium ad se recipit, quemadmodum CARPZ. P. 2. c. 18. definit. 24. idem præjudicio illustrat. Nunc ut ad scopum nostrum perveniamus, uti late mandatum non simplex, non merum, sed cum obligatione aliena in mandantem redundante conjunctum est, uti etiam alias obligatio aliena, quam quis in subsidium ad se recipit, in heredes transmittitur; ita etiam talis mandati obligatio morte mandantis exspirare nequit, sed in heredes utique transit. Proponitur hujusmodi exemplum à TRIBONIANO in §. 6. in fin. de mandat. (i) à SCEVOLA in l. f. §. 1. ff. mand. (k) & in ipsa INSCRIPTIONE tit. 1. Lib. 46. Pand. fidejussores & mandatores, quia pari moralitatis passu ambulant, conjunguntur. (l)

§. XVII.

Equidem tale mandatum cum fidejussione in effectu hactenus convenit: Mandans enim ut Fidejussor obligatur accessorie ac in subsidium; Hinc etiam à MORDESTINO in l. 41. §. 1. ff. de fidejuss. tale mandatum tanquam

- 
- (i) Et adeo, inquit ille, hæc ita sunt, ut quæsitum sit, an mandati teneatur, qui mandavit tibi, vel pecuniam Titio fenerares? sed obtinuit Sabini sententia, obligatorium esse in hoc casu mandatum: quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset.
- (k) Verba JCTi sunt: *Lucius, Titius Gajo suo salutem. Peto & mando tibi, ut fidem dicas pro Publio Mebio apud Sempronium: queque à Publio soluta tibi non fuerint, mere presentaturum hac epistola manu mea scripta nossum tibi facio: quæro, tamen si non fidejussit, sed mandasset creditori & alias egisset, quam (quod) ei mandatum esset, an actione mand. teneatur? respondit, teneri.*
- (l) Est enim mandator, qui vel fidejussorem fide jubere, vel creditorem alii credere rogat. GOTHOFRED. in not. ad d. t. lit. c.



quam manifestum fidejussoris exemplum reperimus propositum. Nam decisioni ad fidejussores pertinenti in *pr. d. l. deinceps §. 1. c. l.* à Jcto eadem responsio subjungitur verbis: *Idem respondit, si in solidum condemnatus est unus ex MANDATORIBVS cum judicati convenire coeperit, posse eum desiderare, ut adversus eos, qui idem mandaverunt, actiones sibi mandentur.* Bene hoc observavit TITIVS in *Jur. priv. Lib. 4. c. 16. §. 4.* inquires: *Quodsi quis aliquem cum alio contrahere jusserit, tum mandatum subest §. 6. in f. mand. l. fin. §. 1. mand. quod tamen in effectu cum fidejussione hætenus coincidit. vid. l. 41. §. 1. de fidejuss.* Ceterum laudatus JCTus non sine ratione addit vocem: *hætenus*, quando mandatum hocce, cum fidejussione convenire affirmat. Nam licet in effectu conveniat utrumque, tamen quod ad formam contractus & modum constituendi effectum illum, differunt: Fidejussio naturam suam faciemque palam ostendit, mandatum vero, quo quis aliquem cum alio contrahere jubet, mandatum est, quod fidejussionem involvit. Hinc mandato hujusmodi qualificato vix accedere potest beneficii divisionis, vel ordinis, renunciatio, siquidem hæc non adeo congruere videtur contractui, quo quis alterius obligationem, non sub forma fidejussionis, sed mandati in se recipit.

§. XVIII.

Videamus alios, qui restare videntur, casus, in quibus itidem post mortem mandantis non cessat mandatum. Eo pertinet (XI.) *negotium, quod leges singulari favore dignum censent*: qualis est dotis præstatio alicui mandata *l. 9. §. 1. ff. de Jur. dot.* BOEHMER. *Jur. Dig. Lib.*



17. tit. 1. mand. §. 28. (D) Ita verò se habet exemplum in  
*cit. l. 9. §. 1. ff. de jur. dot.* propositum: Si res alicui tra-  
 didero, ut nuptiis secutis dotis efficiantur, & ante nu-  
 ptias decessero, an secutis nuptiis dotis esse incipiant,  
 quæritur? Et veretur *VLPIANVS*, ne non possint in  
 Dominio ejus effici, cui datæ sunt, quia tradens morte  
 dominium amittit, ac ab herede invito, illud discedere  
 non posse videtur: *Favore tamen dotis* herede consen-  
 sum differente, ipso jure dominium ad maritum atque  
 sic mandatum post mandantis mortem durare existi-  
 mat. Ceterum ad *jus ipsum*, tanquam jus singulare, &  
*favorem negotii* recurrere minime opus, nam consueta  
 legum & mandatorum regula producendo effectui in-  
 tento sufficit. Licet enim mortuus sit mandans, vo-  
 luit tamen, cum viveret, & sciret post mortem demum  
 donantis existere posse nuptias, ut heres rem doti de-  
 stinatum à mandatario marito præstari sinerent. Hanc  
 igitur legem dixit voluntas defuncti, dixit etiam natura  
 negotii, quæ sic erat comparata, ut si impleri non pos-  
 set illud ante mortem donantis, tamen post ejus obi-  
 tum impleretur. Conf. *TITII Jus privatum, l. 1. c. 8. §.*  
*25. 26.* Aliàs, si hypothesein eorum, qui mandatum ob  
 negotii favorem post mortem durare putant, sequaris,  
 piæ quidem causæ omnes commoda hujus rei exem-  
 pla præbere poterunt. Ita si quis alicui tradat certam  
 pecuniæ summam, ut post suam, solventis, mortem  
 ista Ephoro Academiæ soluta Studiosis indigentibus  
 mensa constituatur: Tum ex laudata hypothesi dura-  
 bit mandatum *ob favorem negotii*, ex nostra vero senten-  
 tia, propter pactum mandantis cum mandatario initum  
 &



& ejusdem voluntatem, qua donavit, atque in casum mortis rei donatæ præstationem contulit, eoque ipso heredem, ut hoc fieri patiatur, obstrinxit. Hæc igitur mandati post mortem durante causa cum ea, quam §. 12. n. 7. adduximus, plane convenit.

§. XIX.

Deniquè (XII.) *mandatum non cessat morte mandantis, quando mandans fuit mandatarius, qui tanquam mandator minus principalis, seu secundarius, secundum mandatarium substituit.* Dissolvitur mandatum morte mandantis, qua etiam substituti officium extinguitur, non item morte ejus, qui substituit. FABER *Lib. 2. tit. 8. de fin. 24.* Nam in tali quidem casu duo existunt mandatores, duo mandatarii: principalis seu primus, qui est mandans simpliciter talis, & minus principalis, seu secundus, qui principalis mandatoris mandatarius est, ac rursus alii negotiorum mandat, h. e. mandatarium alium substituit, quemadmodum etiam in mandatis judicialibus id sæpe fieri consuevit. Cum igitur mandans primus ac principalis per mandatum, quod mandatario dedit, in substitutum jam consenserit, non est cur de novo consentiat, ac voluntatem repetat, sed ex primi mandantis & adhuc viventis voluntate continuatur substituti mandatarii mandatum, licet hujus (nempe substituti) mandator mortuus sit. Est autem in tali casu supponendum, quod mandatarius habuerit substituendi facultatem, quæ quidem ex regula data esse præsumitur in mandato extrajudiciali *l. 8. §. 3. MEY. P. 5. Decis. 176. n. 4.* Secus in judiciali, nam *Jure Civili* procurator substituere non potest, nisi post litem contestatam,



*l. 11. C. de procur. l. 23. C. Eod. Jure hodierno autem præcipuè Saxonico, nec ante, nec post litis contestationem id licet, nisi potestas substituendi ei data sit. c. 3. de procur. 6. R. I. de anno 1654. §. 100. R. I. de ao. 1512. von Notar. tit. 4. §. 1. conf. MENCK. Disp. Process. V. ad O. P. S. t. 7. §. 16. 17.*

§. XX.

Addi potest (XIII.) quod Jure civili non cesset mandatum, morte mandantis, *si procurator vel defensor satisdederit. arg. l. 28. ff. de procur.* Sed nec hodie in Saxonia Elect. id obtinet, cum laudata satisdatio supponat procuratorem sine mandato in foro comparentem, qualis apud nos non admittitur. *Fac. Ord. P. S. tit. 7. pr. MENCK. Theor. & Prax. n. pag. 117. nec Jure civili ista mandati continuatio satis certa est, uti docet SCHILTER Exerc. ad ff. X. immo in solam actionis, non directæ, sed utilis formulam principali acquirendam ista Romanorum doctrina definit.*

§. XXI.

Sed intra terminos differtationis subsistendum est. Hæc igitur in præsentī sufficiant. Humani si aliquid passus sum, aut à tua, B. L. opinione alienum proposui, ad Tuam humanitatem confugio, qui nosti ab indole doctrinæ de mandatis mihi liberioris judicii usum, Tibi verò ab æquitatis regula humanioris censuræ specimen esse mandatum.

F I N I S.





ULB Halle

3


005 367 751



VD 78











1731, 16  
No. 20  
33  
DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE  
**MANDATO,**  
**AN MORTE MANDAN-**  
**TIS CESSET?**

QVAM,  
INDVLTV ILLVSTRIS JCTORVM  
ORDINIS

ALMÆ AC PER-ANTIQUÆ HIERANÆ,  
PRÆSIDE

DN. CONRADO WILH. *Strecker*,

JCTO, FACVLTATIS IVRIDICÆ, NEC NON IVDICII ELECTORALIS PROVIN-  
CIALIS ASSESSORE, PROFESS. PVBLICO ET CIVITATIS  
ERFORDIENSIS SENATORE,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IURE HONORES AC PRIVI-  
LEGIA DOCTORALIA RITE ET LEGITIME  
CONSEQVENDI,

SISTIT  
CAROLVS FRIDER. SENCK-EISEN,  
Advocatus Lipsiensis,

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI,  
DIE III. JVLII A. M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.